



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Linda Mariana, Sive De B. Virgine Lindensi**

**Clagius, Thomas**

**Coloniae Vbiorvm, 1659**

IX. Postremi ejusdem Mensis Maji.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11544**

## CAPUT IX.

Postremi ejusdem mensis Maji dies.

**I**Nitio, medioque florentem, uti vidimus, hoc anno Majum, non minus floridus excepit finis: in quem sacrosancti Corporis Christi feriaz inciderunt. Nam & ipsam quintam feriam, huic celebritati ab Ecclesia dicatam, plurimi è remotioribus locis peregrini, & consequentem inde Dominicam diem, pro more, à pluribus jam annis recepto, solennis ad quaternam Altaria extra sacellum constructa, Processio, plurimum ornârunt. Cùm enim Linda, deserto, ut aliàs vidimus, in loco sita est, illa nihilominus in honorem sacrosanctæ Eucharistiæ instituta pompa cum populosissimis civitatibus videtur contendere posse. Procedentem è sacello pompam, prima Ara ad meridiem haud procul sacello erecta excepit: inde subter confitosex ordine populos, juxta septum progredientes, ponticulus supra rivulum de industria proco festo. structus, ad alteram versùs Occidentem Aram, sub finem aggeris nuperrime strati, traduxit: inde per aggerem, ortum versùs reduces, tertia ad caput ejusdem aggeris, quarta verò, ad vicinas sacello ædes occupavit. Ad singulas earum, præter usitatos sacerdotum hominumque sacrorum cantus, adhibita studiosæ juventutis Resfelienfis, egregia tum Latino, tum Germanico Polonicoque versu acroamata; quibus quasi colophonem addebant, disploræ supra collem sacello imminentem, per studiosam juventutem aliosque, bombardæ; & tantis plausibus.

variè

variè responsans per convalles collesque ac silvas op-  
 positas Echo. Bene sit manibus illius, qui hunc apud  
 Lindam triumphum DEO nostro primus instituit,  
 Interim nos ad nostra.

## I.

Meellaccensium singularis hoc anno pietas.

Semper quidem aliàs, sed hoc potissimum anno  
 contendere Meellaccenses, cum quavis etjam in vi-  
 cino Varmienſi Episcopatu fixarum civitatum, de  
 suo in B.V. Lindensem studio pietateque potuere.  
 Tamenſi enim hoc anno nullam publicè supplican-  
 tium pompam, uti superiore fecerant (a) institue-  
 rint, privatorum tamen tum de civitate ipsa, tum de  
 obnoxiiſ civitati pagis hominum, ea fuit religio, ut  
 rara per æstatem præterierit hebdomada, ne dicam  
 dies, quâ non plerique, ac sæpe etjam plurimi, & qui-  
 dem pedestri fere itinere Lindam affluerint. Quam  
 quidem eorum pietatem, singularibus videtur bene-  
 ficiis Deipara Lindensis rependisse. Præter illa enim,  
 quæ superiore capite recensuimus, non pauca dein-  
 cept illis, ante alios quodammodo cumulatiùs col-  
 lata, restant suo ordine ac tempore percensenda.

## II.

Brachium, sacro corruptum igne  
 restitutum.

Ad VI. Galend. Junias ad gratias iterum, ite-  
 rumque hospitatrici suæ agendas, Matthæus  
 Schultz,

(a) lib. 4.

Schultz, ex Mengengen Wormditenfisagri pago, Philippi hortulani filius, Lindam recurrit. Dextram illi manum facer ignis, per integrum fere biennium, non ad vulnera duntaxat, sed ad ipsum quoque ossifragium exulcerârat; ita, ut & manus tota introsum curvata, neque flexi quoquam, neque prehendere quidquam posset; & ossium particulæ è vulneribus secedentes, aliud atque aliud sibi vulnus secessuræ aperirent; quod quidem relicta mali vestigia grandiores vulnerum cicatrices adhuc loquuntur. Verùm tantis tamque deploratis miserimi hominis malis, unicum Deiparæ Lindensis suffragium occurrit. Cui, ut ille gratus pro sua tenuitate esset, jam tres ante annos profectioem Lindam suscepit, quam & hoc anno atque die iterum reperit.

## III.

Gravis ac periculosus spinæ dorsî cruciatus  
sublatus.

Eodem die, adfuit è Schoneberg Resselienfis municipii pago, Jacobus Basner colonus. Gravissimos in spina dorsî cruciatus ante duodecim circiter hebdomadas erat perpeffus; ut neque movere se strato, neque spem vitæ reliquam ipse de se, aliivè de ipso habere jam possent. Omnem igitur spem atque fiduciam, in una Deipara Lindensi (præsertim ubi reliqua præsidia nequidquam erant adhibita) reposuit, & voto (quo se tum Lindam profecturum, tum Sabbathi dies, quoad viveret, in Deiparæ honorem jejuni traducturum (poponderat) eidem nuncupato, tepentè convaluit; ut, & tum sensim, quâ liberet, deambula-

bularet ; & nunc totum iter , pedes & excalceatus  
Lindam usque conficeret.

## IV.

## Restitutus oculorum usus.

Peragratis ; quotquot in Polonia miraculis , aut  
peregrinorum cultu eximia sunt , aliquamdiu locis ,  
ad Lindensem hospitatricem eâdem hâc die appulit  
Stephanus Hawk ex Rakowice , haud procul  
Grodnâ , in Lituania oriundus ; sed in Letzen Ducatus  
Prussiae oppido quinque leucis à Linda remoto ,  
ante biennium à cujusdam civis obsequiis verlatus.  
Illo ipso tempore ac loco , dum iter ageret , subito ho-  
minem dolor per quàm sævus invalit , & præ cæteris  
membris oculos ita occupavit , ut neque usquam  
progredi extra limen , neque vel minimum auræ fla-  
tum perferre ullo pacto quiret. At ille , qui non ocu-  
lis modò collyrium , verum & cæteris omnibus mor-  
bis , præfens apud Lindam Marianam alexipharma-  
cum in vicino repositum sciret , simul eò , votum nun-  
cupavit , simul morbo levatus est ; ut cum vicinum il-  
lud Lindæ sacrarium haud difficile , suorum usu du-  
ctuque oculorum revisisset , ad reliqua propè omnia ,  
miraculis aut cultu peregrinorum illustra per Polo-  
niam loca , nullo præterea alio ductore atque duce  
lustrare , indeque ad suam iteratò Lindam commeare  
potuerit.

V. Epi-

## V.

Epilepsia, & acerrimus dentium cruciatus  
sublatus.

Schonwald pagus est haud procul Bisteino situs, in quo Georgius, Bartholomæi Ohrentrost filius ab ipsa propè infantia morbo comitiali exagritus, sed à parentibus eodem propè tempore Deiparæ Lindensi devotus, omni deinceps morbo liber, Deo & Deiparæ peregrinatione Lindam quotannis instituta, gratias agit. At verò Petrus Antonii Sturman ex eodem pago filius, acerrimo dentium dolore per multos annos recurrente, cum vulgaria nequidquam adhiberentur remedia, statim per aliquot annos peregrinationem ad Lindam Marianam vovit; & confestim dolore, quin & tumore, qui octo ante dies genam dextram sædè obfederat, unde quaque liber, primam hoc anno peregrinationem, adhibitis sacris penitentiae atque eucharistiae sacramentis, feliciter auspiciatus est.

## VI.

## Gravis æquè ac periculosa febris discussa.

Martinus Ohm civis Traumburgensis plus anno solido, ante triennium feбри exhaustus, neque suis consistere viribus poterat, neque aliorum quoque spe prorogare vitam posse videbatur. Præsidiis omnibus frustra undique admotis, B. Virginis Lindensis opem imploravit, & actutum recepit. Nam, quod conscientia teste asseruit, à voto vixdum edito mox ad se rediit; & hoc anno votum, quod jam tum B. Virgini,

ini, citra moram, persolverat, institutâ rursus peregrinatione iterum confirmavit, præsertim cum ab eo tempore, firmâ se valetudine, Deî & Deiparæ beneficio uti sentiat, recurrentemque aliquoties in vulnere sacrum ignem, quem vulgò Rosam appellant, eodem beneficio depulsam ac propè extinctum faciat.

## VII.

Pes argenteus gangrænæ curatæ, tabella verò itidem argentea beneficii alterius argumentum.

Ad v. Calend. Junias Hedwigis, provectioris jam ætatis virgo, ex Dietersdorff Vormditensis municipii pago oriunda, sed Traumburgi in variorum Canonorum obsequiis supra quindecim annos versata, argenteum pedis simulachrum Divæ Lindensiorum dedicavit. Præcipiti lapsu ante triennium intra fornicem subterraneum delata, sinistrum pedem gravissimè afflixerat. Inde sacer ignis pedem, & ignem sacrum gangrænâ excepit, sædû juxta ac miserum in modum, per vulnera, & ulcera corpus depaescens. Supra omnem hominum opem curatio erat, non tamen supra Deiparæ Lindensis: ad quam cum se ægra recepisset, & ad votum peregrinationis, argenteum pedis simulachrum adituram promisisset, continuo pes sanitati pristinæ est integrè restitutus; quo illa, cum hæctenus variis districta obsequiis non posset, iter septendecim leucarum facile Lindam usque emensa, atque inde Traumburgum pari facilitate remensa est. Eâdem hæc die, Tabella argentea B. Virgini dedicata, cum sequens

sequenti epigraphe atramento à tergo adjecta. *Ad DEI gloriam, & honorem, Deiparæ Virginis, mea apud Lindam patronæ, Anna Althoffiana, Gregorii Gierlovsky civis Lubaviensis coniux, Anno 1655.* Dubium nullum est, quin singularis beneficii, à Diva Lindensi impetrati, & si necdum satis aliis cogniti, ea Tabella monumentum sit.

## VIII.

Morbus comitialis, & pedis utriusque gangræna curata.

Joannes Cisovsky ad III. Calend. Junias primus omnium Lindæ comparuit; Mariæburgo, ubi sutorem agebat, totum iter, non sine singulari Deiparæ auxilio, emensus. Ad epilepsiam, quâ aliquot annos miserè afflictus erat, gangræna pedem utrumque, maximè verò dextrum invalit. Ulceribus ac deinde vulneribus undique erumpentibus, supra dimidium annum insistere nullatenus ulli pedum potuit, manibus duntaxat, de loco utcumque proreptans. Viæ quocirca spe omnibus aliis præcisâ, ille solus in B. V. Lindensi spem collocavit, & de confessarii, qui etiam viatico supremo eum munierat, arbitrio atque consensu peregrinationem Lindam vovit. Quam illi cum durante adhuc morbo plerique dissuaderent, ipse nihilominus spei animique plenus, fulcris, quantum potuit, nixus, iter arripuit, & novem vulneribus dextrum pedem, sinistrum verò octo retardantibus, Lindam versùs promovit. Vix iter erat ingressus, cum & vires homini redire, & vulnera sensim abscedere cæperunt: cumque terna adhuc vulnera Lindam us-

que



ne reliqua attulisset, vix unius jam tenue vestigium,  
 neque, nisi cicatrices aliorum superessent. Tanti igitur  
 beneficii memoriam atque gratitudinem, quoad vi-  
 verit, professurus, postquam ea, quæ memoravimus,  
 scriptis genibus sanctè affirmavit, quovis insuper anno  
 Lindam se revisurum promisit.

## IX.

Meelsaccensium nonnulli variis affecti  
 beneficiis.

Quod paulò ante de Meelsaccensibus diximus,  
 jam exempla, hac ipsâ III. Cal. Juniarum die confi-  
 rmata firmabunt. Nam præter alios plurimos, qui  
 hac & proximis diebus inde Lindam accesserunt, ec-  
 clesios omnino mortales, quos Deiparæ beneficiis  
 maeratos hac die in album retulimus! Maria Bar-  
 tholomæi Engelwald civis Meelsaccensis filia, an-  
 nos circiter quindecim nata, caput & faciem, erys-  
 pelate offusa, octavo circiter abhinc die, ab heræ suæ  
 sedibus, quibus obsequia sua addixerat, ad maternas  
 reducta erat, tanquam nulli deinceps usui, ob mor-  
 bum adeo gravem, obsequioque idonea, nec nisi si-  
 bi ac matri oneri futura. At mater, cui filia morbus  
 dolorem juxta ac singularem in Deipara fiduciam  
 accendit, in genua subito procidens, Deiparæ filiam,  
 quam enixissimè commendat. Momento omnis tu-  
 mor mali que vis in mentum resedit, atque inde squa-  
 marum instar decidens ac prorsum decedens sanita-  
 ti locum dedit, ut exinde pedes iter Lindense arripu-  
 erit, & pedes sana atque alacris confecerit. At ve-  
 ro Margareta è Packhausen ejusdem municipii pa-

go Matthiæ Schucht uxor, prope novem hebdomadas, oculis ante biennium capta, ac variis remediis etiam illicitis in cassum usa; ad B. V. Lindensem recurrens, facile opem invenit; quemadmodum ipsa met iter plus octo leucarum pedes emensa non sine lachrymis piæ gratiarum actioni ubertim affulis, palmam passa est. Eodem die Ioannes Kolberg è Libenau pago, juvenis viginti hebdomadam febris, Anna verò Laurentii V Volgemuht ex Hennerkau sartoris uxor morbo, qui eam septem hebdomadas strato affixerat; Catharina quoque Stephani Huncivis Meelsaccensis filia, ac denique Albertus Karecht ex Hennerkau sartor diuturnis pedum doloribus per B. V. levati, gratias egerunt; ad quas postremi duo, receptæ sanitatis anathemate, singuli tabellas argenteas dedicarunt.

## X.

Capitis oculorumque dolor ac paralysis  
depulsa.

Anna Matthiæ Kisnowski filia, Vormditi heræ cujusdam obsequiis addicta, indeque Lindam usque pedes profecta, votum, quo à gravi capitis oculorumque dolore se liberatam asseruit, cum singulari actione gratiarum persolvit. Quod etiam fecit Elisabeth Ioannis Stoll Gutstadiensis filia, annos circiter octodecim nata; quæ proximè elapso quadragesimæ junio paralyti correpta ex obsequio heræ, cui serviebat, domum matri reducta est. Mater ad proximum filia conspectum de remedio sollicita, cujusdam è Canonicis Gutstadiensibus suasu ad B. V. Lindensem

votum

oritur in genua provoluta concipit. Quod quidem  
 a eo magis ratum gratumque vel nutu ipso (cū  
 morbi etiam usum linguæ ademisset) habuit, po-  
 quam ad id ipsum faciendum, in somnis sibi mo-  
 vi visa est. Vix nuncupatum erat votum, cū  
 pte ægræ & lingua & sanitas restituta est, ut &  
 gratias jam tum Deo ac Deiparæ agere potuerit, &  
 neiceps matrem pedes Lindam usque comitati.

### XI.

#### Tres varia consecuti beneficia.

Tertia ante Calendas Junias dies, tres diversis  
 ois homines, suas Deiparæ Lindensi gratias vidit  
 solventes. Jacobus Fischer à Rawosen Meelfac-  
 ensi pago juvenis, per superiorem æstatem gravi de-  
 ti pedis cruciatu conflictatus ad Lindam Maria-  
 nam, si revaluisset, peregrinaturum se vovit: Reva-  
 luit è vestigio, & sanus citra moram iter aggressus,  
 sanus itidem emensus est. Ursula Andreæ Fischer, in  
 Libenau, Meelfaccensi itidem pago uxor, in maxi-  
 mo instantis partus parturitionisque constituta peri-  
 culo, non aliam sibi, prolique suæ censuit sive Leva-  
 nam sive Lucinam adhibendam, quàm B. Virginem  
 Lindensem. Adhibuit voto perfectionis Lindensis  
 concepto: & confestim partu juxta ac omni  
 periculo soluta, votum hodie solvit. Hodie quo-  
 que votum itidem suum solvit Gertrudis, Martini  
 Rahm ex Kleiditen Heilsbergensi pago filia. Dimi-  
 dium propè annum ex spina dorsi ita miserè affe-  
 ctat, ut se commovere vix posset, flectere vero

nusquam omnino posset. Flexit tamen Deipara Lindensem, ut sese erigeret, & a morbo penitus incolumem præstaret. Cui ut se quocunque tandem modo gratam vicissim præstaret, sex leucarum iter, ad ejus Lindam pedes confecit.

## XII.

Gratiæ, pro levato capitis dolore, per viginti annos Deiparæ Lindensi actæ.

Gertrudis Martini Zachowski in Schulensi, agrorum Heilsbergensis pago, hortulani conjux, viginti ante annos gravissimo capitis dolore per B. V. Lindensem relevata, totidem jam annos Lindam nudis pedibus peregrinatur, ut pro beneficio semel accepto & semper conservato, gratias semper agat.

## XIII.

Santoppensium nonnulli B. Virginis gratiam variè consecuti.

Pridie Calendas Iunias annuam pro more processionem Lindam fecerunt, adjunctis sibi Henrichsdorffensibus & Torninensibus, tanquam ejusdem Paræciæ contribulibus. Septuaginta ex iis factâ mensâ refecti sunt, duo verò singularia Deiparæ beneficia experti, videlicet Georgius Schlegel è villa Henrichsdorff, juvenis, & Ursula Matthæi Herendorff coloni Santoppensis uxor. Atque ille quidem morbo dimidii anni exhaustus, virium prostratarum tenuitatem vigore animi supplevit, magnaquæ fiducia, si revaluisset, peregrinationem ad B. V. Lindensem

ensem promisit. Revaluit, & communi totius pa-  
 triæ cætui admixtus, quod promisit, latus exolvit:  
 Ha verò totam hyemem cum morbo conflictata, o-  
 mibus aliis remediis Lindensia prætulit: quibus  
 non adjuncta, ceream Deiparæ effigiem, uti promi-  
 serat, dedicavit.

## XIV.

Iterum quidam Meelsaccensium beneficia  
 experti.

Ioannes Blum, & Andreas Vogel Meelsaccen-  
 ses, hic quidem periculosâ sex circiter hebdomada-  
 rum feбри, ille verò diuturniore morbo graviter  
 conflictatus, simul ac votum peregrinationis Lin-  
 densis sigillatim edidère, viribus & sanitati pristinæ  
 sunt restituti. Sed & Catharina Ioannis Radig ex  
 Lichtenau, ejusdem municipii pago conjux, latus  
 utrumque ingenti duarum hebdomadarum crucia-  
 tu affecta, quam primùm peregrinationis Lindensis  
 votum nuncupavit, omni cruciatu expedita, decem  
 leucarum iter sana & alacris expedit.

## CAPUT X.

Ipsæ Calendæ & Nonæ mensis Junii.

**M**ensi Junio nomen sive à Junioribus imposue-  
 rint veteres, quemadmodum & Majo à majori-  
 bus, sive à Junone; Macrobius cum cæteris sanè  
 disquirat (a) nobis apud Lindam Marianam & à  
 Junioribus, hoc præsertim anno, quibus cum vita vi-  
 ribus-

XX 3

(a) lib. 1. Saturnal. cap. 12.